[redacted]

[illegible]wicz Stephani Stephanowicz praepositorum Vladislaviensium.

Crac. ex off. Valeriani Piątkowski. 1543. 1643.

STEPHANOMA
PRÆPOSITORVM VLADISLAV:
Seriem & ſucceſſionem complectens, varijs gemmarum, plantarum, herbarum, florum, virtutibus intermicans.

Perilluſtri et Admodum Reuerendo D.

D. STEPHANO CASIMIRO CHARBICKI,
Præpoſito Vladiſlauienſi, Prothonotario Apoſtolico.

Ad conſeruandum Viridi & Celebri recordatione prædeceſſorum æuo ſuccedendi decus.

A

STEPHANO DAMALEWICZ, Theologo Vladiſlauienſi Canonico Cruſuicienſi Concinnatum.

ANNO
Vt neXV Verbo genItrIX Dat VIrgo CoronaM.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Valeriani Piątkowſki,

In gentilitium Charbicianæ Domus Insigne.



PRærupta fixit virtus tentoria rupe,
Arduus horrescit per iuga montis Honor.
Quis victor metam contiget ? Cui sacra pectus ;
Crux ferrata pedes vngula, firmat, equi.

Perillustri et Adm: Reuerendo D.

D. STEPHANO CASIMIRO CHARBICKI,

Præposito Vladislauiensi, perpetuam felicitatem.

PRodeunt in lucem è diuturna obliuionis caligine Prępositi Vladislauiensis, meritis, laboribusque, in et pro Ecclesia, susceptis coronati, Perillustris et Adm: Rńde Domine. Ad quem autem illi profunda de triumphata nocte, virides deferrent vel ęquius, vel decentius laureas, quàm ad Stephanum Prępositum? ipso Stephano primo Vladislauiensi Pręposito reliquis alacriter pręeunte. Vno Te omnes nexu cum illo vinciri, atq; adeo similem coronam huic quam ille ducit sicut Adamas orbi aureo intermicans, deposcunt; cum pręsertim numerum fratrum ad mysterium viginti quatuor seniorum, ante sedentem in trono, procidentium, coramque viuente in sęcula coronas mittentium Stephano tanquam gemma exstante, ascendisse sibi gratulentur. Tibi *interim, qui mysterium hunc cœlestis senatus numerum nouo Stephanomate incipis ordiri, vt quo diutiùs in mortalis vitę stadio curras, eo amplioribus et illustrioribus meritis in sacro seniorum coetu breuium gloriosus comprehendas, apprecantur. Quanquam neque Te laborum suorum, et virtutum in agone pręsentis*

 sentis

ſentis certaminis exortem eſſe volunt; dum Tibi coronam pretioſis lapidibus, plantis, herbis, et floribus innectunt, nomen tuum repreſentantem. Leges enim hic virtutes eorum Symbolię phrygictas, ita vt capitalibus Symbolorum literis, Tuo videantur, auguſtius elogio ſplendeſcere. Porro quamuis nunquam deſuerint tibi in illuſtri proſapia beatę vitę, rerumque gerendarum longè celeberrimi duces, qui ESSE QVAM VIDERI *ſolidę virtutis cultores maluerunt,* NIHILQ; HVMANVM METVENDVM, *vbi diuerſum leges diuinę vellint, veſtigijs maiorum pręclare inſiſtendo, conſtanti magnanimitate decreuerunt: Tamen, et eorum qui tibi pręcurrentes in hac dignitate lampada prętulerunt, ita fuerit glorioſum probos inprimere conatus, et referre antiquę pietatis ſtudium: vt ſucceſſura miretur ętas, omnium in Te comprehenſa decora Deceſſorum feliciter Illuxiſſe. Auſpicare igitur fortunatis auſpicijs nouam Dux viginti quatuor ſeniorum coronam, ex aſſe virtutum cunctarum coronę prioris hęres, quam hęreditatem vlterioribus auctam incrementis, ſucceſſorum poſteritati ad imitandum adamante tranſcribas.*

Ad Perillustrem et Adm: Rndum: Dnum:

D. STEPHANVM CASIMIRVM CHARBICKI,

Præpositum Vladislauiensem, proscepticon.

Magne Sacerdotum præses, quem sacra senatus,
Concio votorum sueuit habere ducem.
Quam necto vigili tibi mente retine coronam,
Dum tua flamineus tempora cingat apex.
Pluribus hæc radiat distincta coloribus, inde
Prisca nitet pietas, inde serena fides:
Hinc amor æterni sculpit mandata tonantis,
Inde iubar promit Candor amicitiæ:
Hunc incorruptâ distinguit monte Smaragdus,
Illum consilio pallidus, armat Onyx.
Hunc prodit zelo celebrem feruente Pyropus,
Illius inuictum robur Iaspis amat.
Huic Saphirus rutilans coeli commercia suadet,
Illius arbitrio pace Beryllus ouat.
Huc Stephano cursus ferro munitus auito:
Quo votat a tantis nexa Corona viris.
Charbiciana per hæc decurre trophea propago
Fælix: cui armat Crux soleata, viam.

Imprimatur.

Iacobus Vstiensis S. Th: & I. V. Doctor, Ordinarius per diœcesim Cra couien: librorum Censor.

Homines diuites in virtute, pul chritudinis studium habentis, pacificantes in domibus suis, omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt & in diebus suis habentur in laudibus. *Ecc: 44.*

Steph-

Stephanus primus Vladiſlauiẽſis Præpoſitus.

NOn diſquiro Cruſficiane venerit Vladiſlauiam Stephanus, quando Onoldus genere Italus Epiſcopus Cruſficiẽſis X. inde Cathedram tranſtulit, an á Rudgero ſucceſſore Onoldi, (qui annos duntaxat quatuor Diæceſi præfuit) inſtitutus Vladiſlauiæ, quod ſane ſimilius vero videtur: cum vterq; nationis extiterit Germanicæ. Hoc indubitatum eſt, nullum eo in Vladiſlauienſi Eccleſia ſuperiorem Præpoſitum cieri poſſe. Cuius promotio ſi ad vicina morti Rudgerianæ tempora (qui annis nouem gubernauit Eccleſiam) referatur, facilè coniici poteſt egiſſe Præpoſitum annos circiter viginti duos, antequam Pontificiam ſedem fuiſſet conſecutus, quod non alienum a vero ſuadet: tū ſexenne duntaxat ipſius regimen; tum Dlugoſſi teſtimonium aſſerentis: eum annis pluribus ſacri Senatus collegio præſediſſe. Fuit Vir ea morum commendatione, qua facilè diu-

diuturnam in sufficiendo Præsule, mortuo Vunelpho, deliberationem sũstulit. Itaque votis concordibus electus ob specimen spectatæ virtutis conuersationisq; suauitatem, confirmationem à Cœlestino Papa Tertio ipsiusq; voluntate consecrationem obtinuit Anno verò Dñi: M. Centesimo 91. Vladislauiensis Eccl: gubernationem auspicatus est.

Prima decus Stephani defigat fronte, Corona,
Concilij fratrum pulchra corona sacri.
Quantus hîc in votis pensandis, ritè senatus,
Lætus ab electo Præsule, pensat, agi.

Saphyrus. Aurea libertas nitet orbe sereno.

Aurea signa gerit, coelo protensa sereno,
Cui nitet articulo, soluere vincta potest.
Libera securis vbi stat sententia votis,
Auro cœlesti labra nitere decet.

Bereuoldus præpositus Vladislau: II.

HIc annos videtur exegisse in Vladislauiensi præpositura plus minus triginta sex, cum

memo-

memoria ipſius habeatur in actis Vladiſlauienſibus Anno Dñi. M. Ducenteſimo Vigeſimo ſexto.

Nec te Collegio bene Bereuolde volentem,
Aetas, in doctis, vlla tacebit iners.
Suada lepoſque tuo quæ ſedit in ore vocabit
Fatidici in laudes agminis ora tui.

Topazius. Veri ſuper omnia fulgor.

Regum theſauros ditat, vincitque nitore
Omnia, quæ grata luce micare queunt.
Quidquid in orbe nitet, totum clariſſima vincit
Cognitio veri, cognitioque DEI.

Albertus I. Præpoſitus Vlad. III.

INterfuiſſe hunc limitibus bonorum Ieżowa Eccleſiæ Vladiſlauienſis, & lacuum Pławno inter Epiſcopum Vladiſlauienſem & Magiſtrum Ordinis Crucigerorum controuerſis, & vtriuſq; partis commodo certis ſignorum metis circumductis, antiqua monumenta teſtantur Anno Dñi, Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo octauo. Vnde annos vixiſſe in

hac dignitate ad minus duodecim, ex Chartophilacio Ecclesiæ planum est.

Gaudebat fortite defensore bonorum
Præsul, certus habet te duce limes agros.
Limes agris per te positus non limitet vllo,
Ætati patulum tempore, laudis iter.

Enydros. Cunctando potius.

Perpetuos guttis fontes distillat Enydros,
Aëraque in gelidas frigore cingit aquas.
Consilio melius feruentia corda rigantur,
Talibus et iuuenum soluitur ardor aquis.

Nicolaus I Phisicus Præ. Vla VI.

Si quod vulgus spargit diuerbium Principibus placuisse viris non vltima laus est suam debet retinere authoritatem, maximè illam testimonio suffulciet virtus Nicolai Præpositi Vladislauiensis, qui magnam probitatis commendationem promeritus apud. Casimirnm Cuianiæ & Lanciciæ Ducem, villā Sobota dictam ab eo pro successoribus perpetua donatione obtinuit, Anno Dni M. Ducentesimo Quinquagesimo.

Naturæ prudens seriem scrutatur; ad alta
Munia, sit melior nonne gerenda fuit;

Cu-

Cuiq; datum varias rerum cognoscere causas,
Mentes voce Ducum flectere nonne datum;

Pyrites. Festina lentè.

Compressus nimium digitos tangentis adurit,
Fulmineumq; suo fulgurat orbe iubar.
Non celat flammas diuini pneumatis, in quo
Sedit amor veri, Crux sibi, pressus amor.

Vitus Præpositus Vlad. V.

Bene iter solida virtute firmauit successoribus Nicolaus phisicus, quandoquidem ex tabulis arhiuii Vladislauiensis perspicué potest intelligi, eodem loco habitum fuisse beneuolentiæ apud principem Casimirum, quo suus autecessor stetit. Namq; confirmationi priuilegiorum Ecclesiæ Vladitlauiēsi a Casimiro datæ anno Dni M. Ducētesimo Sxeagesimo sexto eorundemq; approbationi á Zeniomyslo factæ anno 1268 non otiosus spectator legitur adstitisse.

Dum sub vite sedet vitando iurgia Vitus,
O quantos fructus Vinea nostra tulit;
Vinea pacificis vernabat densa corymbis
Cur; placidūm Viti cor quia vitis erat.

Hyacintus. Temporibus medicina valet.

Cęruleus cum sit, variat per tempora formam,
Tristitiam prohibet, membra vigore beat.
Vtiliter sapiens mutat cum Tempore mentem.
Nam data non apto tempore vina nocent.

Ioannes I. præpositus Vladislauiensem. VI.

NOn multis annnis functum esse dignitate præpositi Vitum in Ecclesia Vladislauien: paruo negotio deprehendi potest, siquidem ab anno Confirmatorum priuilegiorum M. Sexagesimo octauo proditur memoriæ præsens adfuisse Mszciwugri Ducis in Pomerania confirmationi decimarum & bonorum ibidem ad Ecclesiam Vladislauiensem spectantium, anno Dñi. M. Ducentesimo septuagesimo septimo Ioannes ipsi⁹ successor.

Gratia quam nomen condit tibi voce Ioannes:
Condidit irriguâ dexteritate sales.
Fratribus hæc gratum fido spirabat amorem,
Pectore, non vacuo nomine gratus eras.

Acha-

Achates. Omnia vincit amor.

Gratia iucundo speratur Achate parari,
Pyrrhus in hoc Pindi numina sculpta tulit.
Exprimis et strusas, et fratrum pectora mollis.
Eloquio, quantum gratus Achates eras

Florianus præpositus Vladisl: VII.

QVod floridus nomini non responderit vnquam Florianus, nulla hunc scripta veterum accusant: imo loquuntur adfuisse permutationi, quarundam decimarum Abbatis Polplinensis factæ, cum Episcopo Vladislauiensi, pro bonis Gulczeuo Gomelice & Milnin anno Dñi. M. Trecentesimo primo pro commoditate vtriusq; Ecclesiæ secundum illud æunm.

Floris habes nomen, pulchræ qui spargit odorem,
Famæ, quam Tibi mens consiliumq; dedit.
Ecquid habēt flores inscripti nomina Regum:
Clarius in nostro flos viget orbe tuus.

Noset. Ignis amoris amor.

Noset ne noceant dextram monet igne gerentis,
Si dedit infesta pocula Circe manu.

Femi-

Fœmina non trudit Cyathis Babylonia Mystam,
Cui face diuinus spicula fixit amor.

Stanislaus præpositus VIII.

ANno Dni. Milesimo Trecentesimo Decimo Septimo habetur memoria Stanislai præpositi Vladislauiensis Ecclesiæ actis inserta, quam multo næuo notatam excepit posteritas.

Nominis extremâ non frustra calce tulisti,
Laudem, STare loco LAVS ea Nisa suo.
NISA suo LAVS STare loco; dum iurgia fra-
Sidere, sidereâ non sine laude potes. (trum,

Vdachites. prætiosa latent.

Vdachites alium lapidem complectitur intra,
Tinnit hic, assiduo et rore madescit aquę.
Gratia cœlestis ros est, qua qui madet omnes
Hic tenet, exempli tinnit et ipse sono.

Albertus II. Pałuka dictus Præpositus Vlad: IX.

CElebri Bipennium gente òrtus ita claritatem natiuam generis acquisito virtutum splendore cumulauit, vt facilè in se vota Se-

natus

natus Ecclesiæ Posnaniensis de eligendo Præsule deliberantis, in se pertraxerit, regimenq; illius amoeno cleri populique applausu fuerit auspicatus anno Dñi. M. Trecentesimo quadragesimo septimo.

Exsecat hæc aruis horrentia tesqua bipennis,
Gaudeat vt Domini messe beatus ager.
Romulei fasces procul hinc procul este secures,
Vladislauico magis hæc Ascia fasce nitet.

Selenites. Luce tua crescam.

Crescentem simulans congaudet imagine lunę,
Huic implere suum Cynthya lumen amat.
Crescere quisquis aues templo, prius esto Marię;
Hac duce splendorem cornua fronte dabunt.

Sbylutus de Golancta præpositus Vladisl: X.

ALbertum hic eiusdē gentis Toporeæ propago, quæ pro insigni Asciam defert, in præpositura Vladislauiensi secutus est: namq; ab inauguratione Alberti in Episcopum Posnaniensem ad memoriam Sbytuli præpositi Dlugossianis annalibus expressam, anni nouemdecē prodęunt; qui anno Dñi. M. Tre-

cente-

cẽtesimo sexagesimo sexto ex Vladisl: præposito pontifex creatus memoratur cum Matthias Golãczewski su⁹ patruus in fauorẽ nepotis Rege Casimiro Consentiente, & Vrbano V. Pontifice Maximo gratum & ratum habente, à se regimen abdicasset. Itaque institutus in præpositum Vladislauiensem Sbylutus videtur à patruo anno ipso promotionis Alberti ad Fpiscopatum Posnaniensem: Regiminis verò Matthiæ de Golancza anno circiter vegesimo quarto: Duos enim & quadraginta egerat in pontificio Vladislauiensi annos Matthias, antequam senectuti minus iam ad gubernandum vtili, Atlantem suffecisset Sbylutum. Hic finem Ecclesiæ Cathedrali Vladislauiensi á patruo à fundamentis Extructæ imposuit.

Non audita fuit Salomonis in æde securis,
Pegmata Rex celso dum struit alta Deo
Quam crebris Golanceæ sonuere secures
Ictibus, hic templi dum cito finit opus;

Calcedonius. Abundabunt.

Montibus in celsis diuino nascitur imbri,
Illius prodit Delia plena decus.

Montes excelsi Mystæ virtute potentes
Pectora consiliis inferiora signant.

Stanislaus II. Gulczewski Præpo: Vlad: XI.

VT clauum Ecclesiæ Vladislauiensis assumpsit Sbilitus, præsedit Collegio Præpositus Stanislaus de Gulceuo annos tres amplius, Pranditarum origine celebris cui leone moris excubante, & circulum aureum exserto pede ostentante, insigniri solenne; quem Ploc: Eccl: Senatus cum Germani sui placidam gubernationem fuisset expertus successorem præsulem fratri præmortuo poposcit, gubernaculaq; Ecclesiæ iucundissima solennitate tradidit anno Domini M. trecentesimo sexagesimo nono.

Aureus excubitor quem fert leo Cuculus, aurêi,
Dona refert animi, quæ decuere virum.
Pura pudicitia pietas comes affuit olli,
Mænibus his seruas munera quanta leo?

Hyenna. Non tantum Nestor.

Infanti linguę quisquis supponit Hyennam,
Illius eloquium Tullius ipse stupet.

Non ea quę sua sunt, solum sed quisquis Iesum,
Respicit, o quantum voce disertus agit;

Theodoricus Præp: Vlad: XII.

GErmanus an Polonus, sicut & quo natalium splendore insignis Theodoricus de Vienstat extiterit posteritati profunda vetustas non extulit, à Sbyluto pontifice in locum Stanislai Gulczewski sufflectus est. Hic literis firmantibus emptionem villæ Dziardonowice pro Ecclesia Vladislauiensi emptæ per Sbylutum Tomislao Castellano Słonensi, anno D. Millesimo trecentesimo septuagesimo nono interfuit.

Diuinâ pro lege loqui Theodoricus audet,
Conscia mens recti quæ decuisse docet.
Quid mirum sonat Hasta Dei vox nominis Ergo.
Si Goliæ grauis, at fortior ista fuit.

Asbeston. Non deficit vlli.

Perpetuos nutrit flammis Vestalibus ignes
Asbeston templo quod Dea Cypris habet,
Excubat ęde sacra censor qui Mysta Marię,
Nonne huic assiduo lampas amore calet;

An-

Andreas Lascanius Præpositus Vlad. XIII.

Breuem hic Theodorici successor inter Vladislauienses Præpositos sortitur locum, nāque cum vix anno vno in hac dignitate constituisset ad regendam Ecclesiam Posnanisē à Prælatis & Canonicis solennissima inuitatione vocatus est anno Dn̄i. M. quadringentissimo, Rege Vladislao Iagellone virtutem & solertiam viri commendante. Qui cum pro eodem Rege ad Concilium Constātiense Legatū grauiter obiuisset auctos nouo priuilegio sacræ Synodi gerendi communē purpurato Ecclesiæ Senatui habitum, nigro duntaxat galero inferiorem rediit in patriam inque sua Cathedra singulari congratulatione Regni Ordinum exceptus est. Fuit de domo Godźiebarum pinu euulsa insigni.

Pinus opaca vire, stupeat nimbosus Orion,
Quæ dedit ingenuus læta trophæa viror
O quoties plaudit fratrum sermonibus æstus
Fronde sub hac calidas deposuere minas;

Raben. veniunt ad candida tecta columbæ.

Scorpius hunc, fugiunt rabidiq; Venena Molossi.
O quantum Paruo corpore candor agit;
Tristia nulla nocent puræ contagia menti;
Luditur exigua simplicitate dolus:

Nicolaus de Lubanie Præp: Vladisl: XIV.

IVcundissima istius præpositi in Ecclesia Vladislauiensi vernat recordatio. Qui cum annos plures bonorum ad dignitatem suam spectantium possessione secura gāderet, exæquationis præbēdarum in Ecclesia prædicta negotium solicite iam ante a Ioanne opoliensium Duce Vladislauiensi Episcopo versatum promouit studiosissimè Magno Cathedræ istius ob numerosam Prælatorum & Canonicorum præsentiam ornamento; dum eam in rem bonis villarum Lubanie, Niemce, Kobylnica, Zbrachlin, smolsko, Karsko, Mikanowo, Kucerz, Poponice, Poklekowo, Biskupice, Pławno, Cieslino, Sietkowo: Decimasque in Zolankouo, Bacziczewo, Szarley, Radzieiow maiori, & Bronieno minori, se coram

ram Ioanne Szafranice, Episcopo Vladislauiensi anno D. M quadringentesimo trigesimo terti 18. Martij abdicauit, omniumq; redituum percipiendorum ius in Collegium Prælatorum & Canonicorum transfudit, certas in vim testificationis gratiæ voluntatis pro se, suisq; successoribus prærogatiuas inde consecutus. Gente Pomianeus extitit, cui Bubuli traiectum ense caput stemma. Egit Præpositum annos triginta quatuor.

Ferre Caput pro libertate paratus, ad aram
Qui quæ possedit Bos bona cuncta dedit.
Obtutum ferro duce sic Pomianus euibrat in aras,
Vt libet superis hostia grata Caput.

Beryllus. vincuntur melius.

Ingentes animos, et sedat bella Beryllus,
Exácuit visum; mite dat ingenium.
Conspexere, silent multi, si forte virum, quem
Armat in autores turbinis alma Ceres.

Petrus I. de Krampa præp: Vladisl: XV.

NAłencia gente videtur ortus, quæ fascia incirculum nexa insignitur, in locum Nicolai de Lu-

banie successit anno D. M. quadringentesimo vigesimo quinto, a Vladislao Oporowski Episc: Vladisl: promotus. Fundauit in Ecclesia Cathedrali Vlad: Altare Ascensionis Dñi. ad primã a suggesto columnam è regione portæ aquilonaris, in quo inago sculpta elegãter virginis ab Angelo salutatæ conspicitur Molendinũq; sumptu proprio exedificatum in dotem perpetuam illius attribuit; quod successu temporis collapsum anno D.M. quadringentesimo octuagesimo septimo sumptibus venerabilis Petri de Vichowo prædicti altaris possessoris excitatum & instauratum est. Tandem a Petro Moszynski Episcopo Vladisl: anno D: M. quadringentesimo nonagesimo dirutum, eo quod non posset sine dispendio honorũ Epis: mensæ, cõsistere in locũ illius ad sustinenda altaris onera in prima fundatione expressa nouam prouisionem ministris ipsius decimam videlicet manipularem vtriusq; grani & seminis in minori Panieuo ad mensam Episcopalem spectantem conferente. Pulchrũ virtutis testimonium fert hic præpositus a Ioanne Gruseczynski Episcopo Vladisl: in priuilegio

domus miniſtro prædicti altaris conceſſæ anno D.M. quadringenteſimo quinquageſimo primo, dum in eo ſincere fidei argumenta, & integri amoris vinculum, ſolicitudinemq; conſtantem in tractandis Eccleſiæ negotijs intra mentis ſuæ arcana reuoluens ſtudiosè deprædicat.

Infantes formans confirmat faſcia, ſummo
Quæ vittata ſolet vertice ſtare ducum,
Es Dux Petre gregis ſacri. bene faſcia priſco
Maiorum ſplendet ſtemmate, corda ligas.

Iris. Non ſibi ſed multis.

Iride ſplendenti mulier paritura leuatur,
Is vario, aduerſo, ſole colore nitet.
Ærumnas inter, pariens Eccleſia clamat:
Hanc leuat is, varia qui ſibi luce nitet.

Petrus II. de Pniewy Præpo: Vladiſl: XVI.

SVcceſſorem excepit Petrum de Pniewy armis Rolitarũ roſa inter vomeres effloreſcẽte inſignẽ, Petus de Krampa Ioanne Gruſczynski Epiſcopo Vladiſlau: promouente, Eccleſiaſticæ diſciplinæ cenſorem eximium, quod in actis non diffi-

ci-

cili negotio deprehendi po test anno D. M. Quadragentesimo quinquagesimo septimo.

Quam bene vomer arat forti temone subactus,
Dum rosei sequitur floris aratra decus;
O spes non vacuæ: felix o cura coloni,
Cui subeunt vltro iugera culta rosæ.

Carbunculus. Non vt æs tinniens.

Obscuras inter tenebras, Carbunculus ignes
Candentis formam, fulgurat ęris habens.
Aes sonat in medio fratrum, qui consulit ęqua,
Ignifero cui mens flagrat amore Dei.

Nicolaus III. Koscielecki præp: Vladisl: XVII.

HIc gentis heres inclitæ, sagittam in dimidio annuli circulo prominentem stemma gerẽtis vulgo dictum Ogonczyk secutus est Petrum de Pniewy, Anno D. M. quadringentesimo septuagesimo octauo in Vladislauiensem Præposituram, Sbygneo de Olesznica pontificatum gerente, vt temporum collatio insinuat. Amatorem fratrum beneuolum & Collegij bonum studiosè promouentem produnt acta memoriæ. Gessit

cum

cum hac dignitate Episcopatum Chelmensem ad Ecclesiam tamen Vladislauiensem mansit frequentius, in qua altare Diuo Nicolao tutelari suo, ad vltimam columnam Ecclesiæ situm, iuxta turrim aquilonarem fundauit ac extruxit (quam fundationem labente cursu temporum accisam & extenuatam insigniter auxit competenti sustentatione ministro assignata Stephanus Wilkostowski Canonicus Vladisl: Parochus Osiecen: S. R. M. Secretarius) Extruxit idem Nicolaus Cœnobium in villa Skępe Diœcesis Płocensis e latere cocto Fratribus Sancti Francisci de obseruantia, quos Bernardinos vulgo vocare commune est, atq; Ecclesiam; in qua conditus quiescit.

Prætergressa vias lunæ petit ardua cœli,
Sidera quem tandem quærit arundo scopum?
Vult desiderium sponsi complere sagitta,
Audax æterni cor penetrare Patris.

Kobrates Hâc securus.

Hepate Kobrates potis est mitigare dolorem,
Splenis et accensi cauma domare solet.
Tranquillus Mystes medio tutissimus ibit,
Vt tumeant animis, hinc furor, inde metus.

 Ioan.

Ioannes Parzniewski Præpositus XVIII.

NAuum se præstiterat in lustrantis Ecclesijs Archidiaconum Ioannes Parzniewski, origine domus Paparoneæ nobilis, quæ anseris in ceruicali sedentis imaginem pro armis habet. Igitur postquam hominum consortio exemptus esset Nicolaus Koscielecki in præpositum à Matthia Drzewicki Episcopo Vladislauiensi assumptus est anno D.M. quingentesimo decimo octauo, ab eodem iam antea Decessori coadiutor datus. Primus hic in conclaui consiliorum ab eodem Pontifice ad latus basilicæ Cathedralis iuxta Gorcanum sacellum sacratissimi Corporis Christi exædificato votis prælatorum & Canonicorum præfuit, vt ex stemmate ipsius ad locum Præpositi lapide inciso manifestum est. Extremam diem clausit Anno D.M. quingentesimo quadragesimo Tumulo illatus ad cornu Sarcophagi Petri Moszynski Episcopi Vladislauiensis felicem corporis immutationem expectat.

Nobilior gruibus, dum canos inter olores,
Anser hic excubias pro grege fidus agit.

Galtis

Gallis Romam strepitu seruat vigil Anser:
Iam ceßate canes, & vigilare grues.

Iaspis. Stabili fundamine.

Hic solidus Paphię refugit consortia Diuę
Et prior hic vibrat Numinis arce iubar.
Sublimes statuis fidei quos Christe columnas,
Stabunt, dum reprobant Cypridos acta Deę.

Matthias Drzewicki præp: XIX.

CVm annos plures egisset præpositum, Parzniewski, Matthiam Drzewicki de armis vitulorum Coadiutorem adoptauit, gratificandi vt videri potest studio nepoti Archiepiscopali Matthiæ Drzewicki, cuius ope & promotione ipse eandem fuisset dignitatem consecutus, dum Eccl. Vladislauiensis gereret Episcopatum; quam Matthias hic statim à morte Coadiuti plene capessiuit Anno Dñi. M. quingentesimo quadragesimo Luca Comite á Gorka Epis. Vladislauiensis Ecclesiam gubernante. Septem hic Antistitum vidit regimen varia vicissitudine diuersum, quinquę fere deplorandum: maximé illo præsiden-

den-

dente Zelus Canonum sacrorũ, et Ecclesiasti ci regiminis enituit Venerabilis collegii, qã do Iacobo Vchanski Episcopatum saeculari brachio apprehensum absque sedis Apostolicae diplomatibus occupanti Praelati & Canonici grauiter, & animosè obstiterunt: quanquam non minùs eorum constantia, & fortitudo in admonendo praesule non recte in rebus & dogmatibus fidei sentiente Ioanne Droiowio probata est Ecclesiae Polonae collegijs, & magnis Antistibus, tum ipsi summo Ecclesiae Capiti. Tunc elegio doctissimi senatus Ecclesiae coepit Vladislauiẽle ornari collegium quod decus hactenus magno animo, doctrina graui, constantiq; virtute intaminatum seruat. Extat monumentum istius Praepositi in thesauro Vladislauiensi statua Diuum Adalbertum referens argentea, auro illita.

Bos iuga ferre potens potuit diuersa iugare
Sensa patrum, quanto hic robore Taurus erat?
Qui tulit Europam nostro procul orbe facessat:
Maius in hoc nostro munere gessit onus.

Cera-

Ceraunius. A terrore quies.

Nascitur iratum vibrat cum fulmina coelum,
A latere mouet fulminis arma suo.
Ætna tonet grandes tempestatesq; susurent,
Tutus ab, hoc dormi, fulmine, fise Deo.

Ioannes III. Tarnow. Præp. XX.

MAgnum illud Ecclesiæ Reiq; publicæ sidus, Stanislaus Karnkowski omni æuo memorandus, cum Ecclesiam Vladislau: gubernandam anno Domini Millesimo quingẽtesimo sexagesimo Septimo suscepisset, Præpositum in ea Ioannem Tarnowski illustri Rolitarum prosapia celebrem, excelsianimi virum, & Sacerdotem Ecclesiastici zeli tenacem renunciauit anno Dñi Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto Matthia Drzewicki è viuis abeunte. Hanc dignitatem cũ primo Referendarius deinde Vicecancell: Regni annos viginti duos tenuisset, in Episcopatum Posnanien. postulatus est anno Dñi Millesimo quingentesimo nonagesimo septimo ad Vladislauiensem deinde trãslatus Ec-

clesiam anno Millesimo sexcenresimo in qua dum biennium egisset Patronum suum Stanislaum Karnkouium anno Dñi 1603. vita functum ad Primatiale fastigium secutus est. Extat illius oratio in Chartophylatio Vladislauiensi longé iucundissima qua per internuncium Ecclesię valedicit contestans quod solum collegium, & singulares illius personas paterno fuisset affectu complexus, cui viritim omnes Prælati & Canonici ad vnum sententiam à Decano rogati testimoniũ clementiæ & amoris desideratissimum tribuerunt ad Archiepiscopatum Gnesnen: proficiscenti. Digna luce ampliore per typum oratio.

Fixit Rupe Rosam ferratâ Carolus, index
Quę fuit excelsi, magnanimiqué Ducis.
Fixisti ferro Tarnowski, certiùs illa
Flore perrennabit, viuidiore, Rosam.

Liparea. Ne feritas noceat.

Si Liparea feras inter tibi luceat, audax
Incœptum sylvis carpe viator iter.

Con-

Consilio melius fr[illegible]at prudentia gressum,
Magnanimo constat quę sine fraude Viro

Stanislaus III. Zakrzewski
Præp: XXII.

AD Episcopatum Posnaniensem Ioanne Tarnowski euecto, successorem in Præposituram Vlad: instituit vere magnus Pontifex Heronymus Comes à Rozrażeuo anno D.M. quingentesimo nonagesimo octauo Stanislaum Zakrzewski, gentis Sariæ trib⁹ insignē sarissis; qui cum antea vitæ integritatem, & prudentiam in grauibus Ecclesiæ negotijs probasset Canonicus, sublatus è vita hoc testimonium à collegio Præpositus obtinuit: quod hic ex Epitaphio depromptum subjicio.

Stanislaus Zakrzewski,
Præp: Vlad.

Gneznen: & Crussicień canonicus, vir nobilis, sacerdos integerimus, Prælatus præsidens in disciplina Ecclesiiastica propaganda Zelosus, erga pauperes liberalis, amicitiæ cultor sincerus, magno omnium bonorum desiderio moritur Vladislauiæ. Anno Dñi M. Sexcentesimo Tertio die 18, Maij ætatis varo suæ LIV.

Nobi

Nobilis hastato vincebat Roma stratego,
Siquando dubio Marte pependit hera,
Collegio triplex splendescit quando sarissa,
Nonne sub hastato præside turma vales?

Quanidros. Sic tutius ibo.

Cuncta nociua fugat forti virtute Quanidros,
Lac prębet, surgit vertice vultureo.
Palladis hasta animum fortem pręstantius armat,
Damna fugat, Iusti cognitione replet.

Petrus III. Tarnowski præpositus XXII.

ANtequam Ioannes Tarnowski Primatiale ascenderet fastigium anno D. M. sexcentesimo tertio, Petrum patruelem suum Vladislauiensem præpositum esse iussit. Qui cum ad eam dignitatem sufficiens specimen attulisset pietatis, moderationis animi, sobrietatis, castitatis, vberiore scientiæ amplitudine splendorem virtutum, nataliumq; cumulaturus, Romam profectus est: ibiq; quadriennium commoratus præ dignitate, abiectionem, in Domo Dei, præ diuitijs paupertatem claritate prosapiæ, contemptum elegit

mundi

mundi, institutum Carmelitarum Discalceatorum amplexus. Anno Dñi. M. sexcentesimo quadragesimo secundo in Cœnebio Præmysliensi viuere desijt.

Delicium veris Rosa, quos afflauit odores
Nouit sacrati concio Diua chori.
Hanc sibi Carmelus viridis florere poposcit,
Floruit, accisam nunc paradisus habet.

Gagates. Sorte sua.

Non vario fert signa colore superba Gagates,
Nigricat, áfrictus stramina parua trahit.
Quis niger est? humilis: mundi peripsemata egenos
Dum trahit, et pascit, robore quantus erit?

Ioãnes IV. Grochowicki P. XXIII

ROmæ tunc agebat, cum Petrus Tarnowski religioso adscriptus est ordini. Igitur & in Curia vacans beneficium obtinuit, & ad pleniorem iuris titulum, quandoquidem dignitatis istius S. R. Maiestas est patrona, præsentatione impetrata, ab Alberto Baranowski qui eodem tempore Sedem Pontificiam in Ecclesia Vladislauiensi auspicatus fuerat, Anno D.M. sexcentesimo septimo institutus

 est.

est. Post annos autem quatuor in Abbatem Vagrowecensem postulatus electus & confirmatus non multo post Romam petijt quo in itinere á latronibus obtruncatus occubuit Rosarum stirpe oriundus. Præclare se gessit in administratione Episcopatus Vladislauiensis obitu Matthiæ Pstrokonski vacantis.

Ambiit hunc Patrem Cistercius ordo recenti,
Hęc Rosa Bernardi sparsit odore domum.
Cum petit Ausoniâ fragrare petentibus aruis,
Ecce tibi Cloto messuit atra Rosam.

Solix. Lucet & ardet.

Luce coruscantem Phębi vult lampada solix,
Exprimere, et magni solis habere iubar.
Sol paruus solix magnus, pietatis amator,
Sol; quę non eius corda calore calent;

Iacobus Zadzik præp: XXIV.

ANno D.M. sęxcentesimo vndecimo Laurentius Gębicki Episcopus Vladisl: Iacobũ Zadźik præpositura Vladislauiensi ornauit, postquam in pacifica possessione Abbatiæ Vagrouecensis Ioannes Grochowicki con-

stitisset:

ſtitiſſet, virum gente Corabitica illuſtrem. Fuit Secretarius Regni Maior poſt ſupremus Cancellarius, tandem Culmenſis Epiſcopus demum ad Cracouienſē Pontificatum tranſlatus Anno D.M. DCXXXVI. memoriā viri de Eccleſia Req; publica meritiſſimi nulla vnquam ætas obliterabit.

Pande ſinus generoſa Ratis ſuper ęquora, ſolers,
Te nauarchus agit, ſiſte procella minas.
Hybernis parcant nimboſi flatibus Euri,
Crucia lene Thetis ſub rate flecte caput.

Schiſton. Inuide quid audes.

Obtutus ſchriſton lipporum roborat ęgros,
Hac face clara, minor, lumina mundus habet.
Eſt maior mundus nobis Eccleſia: lumen
Addit huic Myſtes, altior inuidia.

Chriſtophorus Charbicki præpoſitus XXV.

A Ioanne Tarnowski Epiſcopo Vladiſlauiē: primum ſcholaſtici dignitate fuit inſignitus in Eccleſia Vladiſlauienſi Chriſtophorus Charbicki, gētis Accipitrinæ armis decorus, cui crux eſt ſoleæ ferratæ imminens in ſcuto cæruleo inſigne. De-

inde anno D. Millesimo Sexcentesimo Decimo nono à Paulo Wołucki Vladisl. Pontifice in locum Præpositi euectus: Tandem ab Illustr: & Reuerendiss: Domino, D. MATTHIA LVBINSKI Dei & sanctæ sedis Apostolicæ gratia Archiepisc: Gnesnen. Legato Nato Regni Poloniæ Primate Primoq; Principe feliciter nunc Poloniarum Ecclesiæ præsidente, dum Antistitem Vladislauiensem ageret in partem laboris Pontificij accitus, inque Margaritensem promotus Anno D. 1635. Obijt Anno D. 1638. Mensis Iunij die 22. in sacello Tarnouiano, sarcophago Charbiciano à se extructo cōditus quiescit, vir rerū gerendarū dexteritate principibus cōmendatus, æmulis ob virtutes raras suspiciendus, Senatus Ecclesiæ Vladislauiensis columen, gemma Sacerdotum, decus Pontificum, Ecclesiasticæ disciplinæ zelator acerrimus, immunitatum Ecclesiæ propugnator inuictus, æquitatis defensor strenuus, veritatis arbiter incorruptus, eruditorum Mœcenas liberalis, pauperum benignus patronus, Ecclesiæ Adamanteus Atlas.

Quam

Quam pulchrum rigidâ stadium virtute cucurrit
Constans Charbicius; crux soleata docet.
Læta triumphali pietas, claresce tiara;
Quam solidé Martis ferreus ambit honor.

Adamas. Hic solus vincit.

Ferrratos temnit duris in cudibus ictus,
Limaq; vim lapidis nulla polire potis.
Hircino tantum mollescit sanguine: tantum
Presbiter à Christi sanguine robur habet;

Stephanus Casimirus Charbicki Præpositus XXVI.

AGit nunc Præpositum Vladislau: Stephanus Casimirus Charbicki, Filius Petri Castellani Brzézinensis prudentissimi Senatoris & de Rep: optimè meriti, quanta prudentia & dexteritate, mihi nunc religio est tacere: audiat virtutum æquior æstimatrix posteritas, quarum hæres ex asse viuum referre incipit Patruum. In numerum Senatus Ecclesiæ adscripsit hunc Illustr: & R̄mus. D. D. Matthias Lubienski Archiepiscopus Gnes: anno D. M. sexcentesimo Trigesimo septimo cum

mo cum ætaris annum ageret XXIII. Cum verò patruus emensus vitæ præsentis stadium Præpositura cessisset, in locum ipsius idẽ Illustr: Primas, nepotem ad præsentationem Vladislai IV. Inuictissimi & Felicissimi Poloniarum Regis Romæ commorantem, in decursu anni ætatis 24. suffecit. Viue Stephane Casimire Charbicki, & Tui sanguinis aui tum decus Ecclesiasticæ libertatis propugnatione semper illustra, Tuos Charbicios, Tuos Zadźikos, Tuos Tarnouios magnos Heroas feliciter æmulari stude.

Vngula, fatidicos latices impulsa Poetis
Quę cauat, in stygias aqua fatiscat aquas.
Figitur hęc Stephani ferrata potentius, in qua
Stagnat ab ęthereo ferreus igne liquor.

Pederos. Hinc decus & pretiũ.

Pluribus hanc votis feruens Antonius ardet,
Exul ob hanc dulci Nominis vrbe latet.
Feruet Apostolici firmo tui pectore Zeli
Inconcussa fides, sta bene, gemma nites.

FVnctæ hactenus officio gemmæ nomine tuo splendescentes, ad celebrandam immortalitatis

coronam Vladislauiensium Præpositorum Perill: & Adm: Reuer. D. in partem ornamenti vocant arbores, quibus tam ludis Isthimijs, quam Olympiacis certaminibus insignia victorum ambire tẽpora, tam seruatorum ciuium, quàm depressorũ carinarum hostilium capita, gloriosis circumuestire frondibus, haud inusitatum. Spectabis amœno vultu in hoc studium alacribus ramis & propagine densiore, lucũ assurgere, laureato Parnassio non inferiorem Decessorum tuorum memoriæ perenni, Heliconio vertice plantatum, & consecratum.

Palma.

Palma decus nemoris, priscum gestamen honoris,
Assurgens cœlo pondere, fronde virens.
Altius vt crescas, pulchram te, in, flecte, coronam,
Inq; nouum Stephani pondere, pendus habe.

Rhamnus.

Ambitiosus eras sedem cum Rhamne priorem,
Arboreos proceres inter habere cupis,
Est vbi diuina spendens te fronte corona
Purpurat, eximio dignus es imperio.

Exque-

Abies.

Exquirit montes, at quo sublimius exit,
Commodiora maris tergora adaptat aquis.
Sic qui proximiore cacumine presidet astris,
Obijcit, vt feriat magna procella, caput.

Ebenus:

Non nat aquis arbor, flammis subiecta, vaporem
Flat placidum, duro pondere par lapidi.
Aduersis quando premitur constantia rebus,
Stat tamen, in mediis vel minus vsta rogis.

Populus.

Populus in fluuiis patulis diuerberat auras
Frondibus, exiguo flamine quassa tremit.
Sic qui decursum iuxta plantatus aquarum,
Et viret, et tremit, ad iudicis ora Deis.

Oliua.

Conseruat lumen, vulnus quoq; sanat oliua,
Ipsius et victor tempora fronde viret.
Iurgia qui potis est lingua sanare diserta,
Dignus huic victor cingat oliua caput.

Sethim.

Nulla petit sethim corruptio, nulla cremare
Flamma potest, illo Numinis Arca stetit.

Jncor-

Incorrupti quem mores poliere, sacerdos
Diues opum merito dicitur arca Dei.

Iuniperus.

Fronde sub illius secure dormit Elias,
Dum trepidus rigide principis ora fugit.
Sub Duce zelozo tutum pietatis Asylum,
Et secura quies, fida quiesce cohors.

Thynus.

Fulcra gradusq; struit sacra Salomon in ęde,
Thinea, quę speculi nata subire vicem.
Qui multis ęquo moderamine pręsidet, an non
Jure potest dici Prępositus speculum?

Vlmus.

Vlmo stát vitis crebris fęcunda bumastis,
Illius flores sedula sugit apis,
Inde stat et Christi turgescit vinea: Mystes
Cum pius hanc vitâ, consilioque tenet.

Styrax.

Sudat odoriferum gummi mortalibus ęgris,
Syrius ardentem cum canis vrit humum.
Firmius annectit solidas concordia mentes,
Quam placidos talis dat medicina dies.

Vitis.

Lętior innexa gaudet propagine vitis
Solicito pellit pectore triste gelu.

Dum ligat æthereis animos sapientia vinclis,
Exulat inde metus, mens hilarisq; viret.

Laurus

Tempora victorum lambit, pellitq; venena
Dira, nec irati sustinet arma Iouis.
Non percelluntur quibus est mens conscia recti,
Fulmine, at hoc melius corda fragore viret.

Amygdalus.

Vulpibus hęc mors est, hominum medicina dolori,
Prisca sacerdotis theßera fructificans.
Dum censura viget, calido qui pectore vulpem
Fers, ferit ista dolos virga seuera caue,

Doriones.

Ornatus foliis lauri, sed onusta grauatur,
Fructu quam iuglans fert meliore, solet.
Nux est ver patiens, verbis percußus iniquis
Stat, dulcesq; hosti verbere fundit opes.

Ilex.

It coelo ridens quaßata bipennibus ilex,
In lapidem rigidis et solidatur aquis.
Ridet vir fortis vanę mendacia linguę,
Scintilatq; sacro flaminis igne, lapis.

Floret

Sambucus.

Floret odorifero Sambucus germine, cortex,
Illius, stomacho noxia cuncta mouet.
Iucundum rebus vigilantia spargit odorem,
Hæc solo visu damna futura fugat.

Lentiscus.

Ramosa pinguem destillat fronde liquorem,
Et lento plexus robore vimen agit.
Vimen agit firmum spectata modestia virtus,
Pectora quæ vincit, lentius illa fluit.

Aloe seu Agallochum.

Optatis Aloe lachrymatur fletibus ægro,
Ad paradisiacum nascitur vsq; Tigrin.
Qui varij temnit mundi commercia Mysta,
Antidotum lachrymæ cor paradisus erit.

Vyia.

Purpureo fructu rubet, efferat agmina Martis,
Indigenas quoties cogit in arma viros.
Scintillante trifaux necquicquã Cerberus hic quo,
Terreat, à rosea quæ cruce corda rubent.

Iaruma.

Mollior est fructu, ramis aßurgit in astra,
Medetur folijs, apta subire ratem.

Mollior irarum frangit responsio motus,
Alta venenatâ vulnera mente leuat.

Enlanda.

Una fouere potest hominum tria millia ab ęstu,
Cortice pro lino corpora nuda tegit.
Plura fouet roseo gemmans clementia vultu,
Pectora, quâ facilem promit egenus opem.

Nicophoros.

Arcubus apta viret, iugemque retinetq; virorem,
Triste parat gelidis anguibus vmbra mori.
Æquus in ambiguis animus per cuncta virescit,
Tempora dum ceotu frigidus anguis abest.

Salix.

Hęc crescendo salit, febriles alleuat ęstus,
Conciliat somnos, littora germen amat.
Flexanimi felix calidas qui temperat iras,
Eloquio tantum gratia germen alit.

Iaralnare siue Indica nux.

Palmam fronde refert, fructu sed vincit eandem,
Namq; famem nucibus sedat et ipsa sitim.
Hospitibus suaues qui condit voce liquores,
Hic Diuum miscet nectar, et Ambrosiam.

Sycomorus.

Syco-

Sycomoro lętus cernit Zachęus Jesum,
Sic reliquas inter dulcius vna sapit.
Extra qui turbam Jesu consortia quęrit,
Illi delicias crux dat amara, pias.

ACcurunt ad celebrandum coronæ decus & herbis inserti flores Perillustris & Adm̃. Rñde. D. se peculiari iure ad tale sertum pertinere gloriantes, vt pote quos nulla humanæ letitiæ vel congratulationis thessera vnquam exortes à solenni fecit applausu, & quamuis cum gemmarum pretio certare nequeunt hominum æstimatione ab æmulatione tanta exclusi, colorum tamen nitore ac varietate à natura cõmuni parẽte bene vestiti non possunt illam nominis coronam erubescere, quamuis quod impares sint celebrandis tot virtutum ornamentis, ipsa verecundia illos purpurante, non diffitentur.

Intybus.

Intybus est ęgro capiti medicina, leonis,
Exprimit effigiem dentis, amara fibris.
Ora leonis habet veri studiosus amator,
Illius verbis sanus amaror inest.

Kali.

Argiuo, pulchrum pulchro fert nomine, nomen,
Suffitu pellit toxica cuncta domo.
Exuperat virtus dici quę pulchra merentur,
Sola, nec infestum virus habere sinit.

Hameleon.

Attrahit à varia, varium tellure, colorem.
Hinc niger, aut viridis, prouenit inde ruber.
Perspicuus sapiens mutat cum tempore mentem,
Cum trahit in virus, quę meliora, locus.

Isatis.

Flammas flore rubet, summo linguamq; figurat
Germine, Coeruleus nascitur inde color.
Imbuit hic hominum ceolesti corda calore,
Ardens, cui sancto pneumate lingua nubet.

Blephara.

Aureus hic flos est, roseoq; simillimus orbi,
Alcides amat hunc, vnda profunda parit.
Cedit flore, viro forti, Tymithius heros.
Ignibus in mediis qui gerit ore Rosam.

Ruta.

Ruta acuit visum, hac vincit mustella draconem,
Hanc refugit Paphię non bene sanus amor,
Corde cui sedit Domini timor, acrius omni,
Lynce videt, quidquid sanctus abhorret amor.

Vicca.

Amaracus.

Viuacem cerebro ſertis inſpirat odorem,
Roborat ingenium, cor vegetumq; parat.
Quum pietas afflat ſacro ſpiramine Myſtæ,
Eſt vigil eſt animus, conſiliumq; tenax.

Hyſopus.

Pulmonis vires auget, tuſſimq; reſoluit,
Eximium formæ conciliatq; decus.
Libera vox hominem ſonat abſq; timore volun-
Aure cui reſonat ſola, placere Deo. (tas,

Chryſopole.

Chryſopole verum falſo diſcernit ab auro,
Hoc quo ſe patitur tingier, illa probat.
Explorant animos, inimici tela ſuſurri,
Se probat auriferum, qui illitus hiſce rubet.

Sagmina.

Patratus pater hac vmbrauit tempora, quando,
Fœdera percuſſit, vel ciit arma minax.
Si quando bellum triſti denunciat Orco
Vir pius, orato Numine victor erit.

Vetonica.

Cor reficit, cerebrum grato confirmat odore,
Mille ſuas vario flore recondit opes.

O quod opes surgunt zelozo pectore, cultus
Sacri cum floret Relligionis amor?

Rosa.

Horrentes inter spinas Rosa fundit odorem,
Hæc Nymphæ Paphiæ sanguine tincta rubet.
Gratior in tristi floret discrimine virtus,
Cum Mystæ roseus purpurat ora pudor.

Iris.

Mille notis varians coelestia lilia pingit,
Inde decus flori, nomen & inde subit.
Quem iuuat æthereis, in conuersatio coelis:
Quam pulchra florens Iride pectus habet?

Melilotos.

Mellito nomen meritum fert herba sapore,
A patria mentem germen amore trahit.
Mellitos fundit soli pie suada lepores,
Est cui diuino patria iure minor.

Ia.

Sunt violæ species humilis, sed iantina vestis,
Quam iucunda gerunt munera, flore docet.
Qui partes animo terræ descendit in imas,
Huic cælo verum purpurat Io decus.

Pecto-

Stœchas.

Pectore damna leuat citrino germine stœchas,
Luteus hanc ambit, flore nitente, decor.
Pectus amor Christi feruens cui vulnerat æstu
Flamineo, quantis liberat ora malis?

Amomum.

Vi concoctiua pollens celebratur Amomum,
Vitis habet folium, flos violamq; refert.
O quot concoxit forti discrimina rerum,
Pectore, cui violæ strenua cura, pati?

Crocum.

Flore crocus rubeo flagranti litat amori,
Dum perit incauto vulnere, flore perit.
Floret, & ardescit flammescẽs corda Pyracmon,
Cui coquit æternus viscera mentis amor.

Statice.

Septeno pulchros sustentat stipite flores,
Flores qui roseas erubuere genas.
Quem statuunt septem solido fundamine dona,
Pneumatis, ille Dei firma columna domus.

Verbena.

Ornamenta dedit templis verbena Deorum,
Hac purgabatur puluere mensa Iouis.

Qui venit ad mensam velox, & ritè, Ionantis.
Pectoris ornatam quam bene verrit humum.

Narcissus.

Vertitur in florem dum se miratur in vndis
Narcissus, pressum stringit odore caput.
Luditur vndosâ fragili sub imagine forma,
Viñ. caput attollas? proprius absit Amor.

Amaranthus.

Immortale decus gestas Amaranthe viroris,
Sic tua vel gelidâ gloria vernat humo.
Perpetuo durans immarcescibili ęuo,
Virgineos mores clarior ambit apex.

Heliotropium.

Erigit ad solem versatq; per omnia florem,
Cminata queis gyro lętus Apollo pręit.
Qui famulis Christi gressus comitatur heriles,
Nonne piè, Christo sole intente, nitet?

Panax.

Omnibus est panaces medicina doloribus vna,
Nomen in Argolius hinc tulit illa plagis.
Qui Christi plagas animo meditatur amaro,
Floret in afflicto sic bene corde Panax.

Eldia.

Capra cruentatum ſubiens per ſpicula vulnus,
Herbę dum ſumit pabula, ſanat ope.
Lingua diſerta magis diffiſſum corpus adunat,
Agminis, eloquio tela fugante graui.

Tulipa.

Diuitias Tulipa ſuas Titanis ad ortum,
Explicat, et flores hoc abeunte latent.
Omnia dum ridet cœleſtis gratia vernant,
Nec patitur fuſca lux pia nocte premi.

Siderion

Authoris ad Zoilum

Vulnera Siderion curat; quid Zoile mordes
Charbicki Stephanus, ſi mihi Siderion.

Ad Perillſtr: et Adm: Redm: Dnum.

PRodiderunt monumenta hiſtoriæ Polonæ Per illuſtris & Adm̄ R̄n̄de. D. Boleſlaum Cryuouſtiū hunc in diſtribuendis principatibus inter filios modum tenuiſſe: vt Vladiſlao terras Cracouienſem, & Syradenſem, Sileſiamq;, & Pomeraniam attribuerit; Boleſlao Criſpo Mazouiam, Cuiauiā Dobrynum, conſignaret: Gneſnam, Poſnaniam; Caliſium Meniſlao adſcriberet: Tertam vero Sen

 domiri-

domitiensem Henrico Duci iuberet obtemperare. Cum vero Casimirus quintus filius superesset nec qua sorte augeretur videretur habere; atque rei causam proceres sciscitarentur, cur oblitus videretur nati in Ducatuum pernitionem non admissi? respondisse fertur: Nonne quatuor ferri rotis currum animaduertitis currusq; sessorem superiorem censetis? ita actum iri cum infante relicto præclarè & feliciter auguratus. Quatuor ego Rotas Charbiciani sanguinis gloriosè triumphantis in quatuor Epitaphijs Tibi Perillustris & Adm̃. Rnde. D. propono, quintum te inter illos supereminere curuli sella exoptans. Non eges alienis ad veras laudes plumis: sufficiant tibi Ecclesiastcorum Prosapiæ Charbicianæ monumenta velut Cherubico iuncta curru animalia: si enim dignitates & memoriam sæcularium posteritati vellem exhibere, nimio plus prolixus esse deberẽ non sine stomacho inuidentiæ.

D O M.

ET

Pijs Manibus

Ioannis Charbicki Æquitis Hierosolimitani.

Q V I

IN satrapia Lanciciensi antiqua & nobili ortus familia, Virtutem & sanguinem á Parentibus, Doctrinã, eruditionem ex literis, prudentiam, & Dexteritatem ab experientia accepit. In Hungaria & Transyluania à Rudolpho Imperatore, & Fæderatis Regni Socijs, In Dacia, Scythia, Rusiaq; à Rege suo & Repub: pro fide Christi contra Barbaros militauit.

Italia posthac Germania, Bellio, Gallis, Hyspanijsq; Corsyca, & Melita insulis Thracia, Macedonia, Græcia, ipsa quoq; Othomanici Imperij sede sepiùs peragrata consilio, prudentia, prouidentiaq;, variarum linguarum, legum, morumq; scientia, ac magno rerum multarum vsu. Amorem pariter ac honorem apud principes viros, dum publicis iuxta ac priuatis adhibetur deliberationibus meruit, simul & habuit extra inuidiam.

Tandem NIHIL HVMANVM AMBIENS vel METVENS post tot superatos terra mariq; labores apud Socalum amoenitate loci ac deuorionis commoditate illectus florens ac integer, totoq; vitæ tempore coelebs pietatiuacauit.

 Alterum-

Cœnobia

Alterum monialibus à fundamentis erexit ac dotauit, Alterum Fratribus S. Francisci de obseruantia collato ad structuram multo æreiuuit, exornauitq;.

Atque hic.

Dum Deo, Patriæ, Ciuibus, ac Amicis se suaq; impendit annis a bello Turcico duobus, ad altare priuilegiatum quod viuens impetratis à summo Ponfice gratis exedificauerat, tumulo vti iusserat quiescit illatus.

Suum cuiq; decus posteritas rependit Paulus Tribunus Lancicien: & Stanislaus Pincerna Dobrinen. Charbicij memoriæ Defuncti P.P.

D. O. M.

Viator

Quispuis ad immortalis æui brauium festinas impiger Hoc iter est.

QVOD

CHrystophorus Charbicki Episcopus Margar: Suffraganeus Vladisl: Cruciata vetustæ Accepitrinorum prosapiæ soleâ calceatus, Maiorumq; vestigijs per viam virtutis ad ædes honoris magnanimo conatu contendentium feliciter insistens cucurrit.

QVEM

Politoribus literarum studijs in patria, cognitione Diui-

Diuinarum humanarumq; legum innationibus exteris, scribendi legendiq; vsu & virtutum imitatrice admiratione in curia Herois magni Poloniæ Primatis Stanislai Karnkouij.

Exculta ętas.

In Vladislauiensi Ecclesia primum Scholastici deinde Præpositi præclara functio in iudicijs Tribunalitijs spectata constantiæ iuncta prudentia, in publicis Districtuum conuẽtibus libertatum immunitatumq; Cleri strenua propugnatio.

Ad pontificalem Tiaram

Tanti viri in candelabrum origente splendorem Illustrisimo & Reuerendisimo Matthia Lubienski Episcopo Vladislau: & Pomeraniæ Euocarunt.

Illi nunc.

Post consumatũ carsum immarcescibilem coronam præcari, & sic currere vt comprehendas memento.

H. S. E.

IOANNES CHARBICKI,

Celebri prosapia in Palatinatu Lancicien: Petro Iudice Terrestri Lanci: Heduigi Tarnowska Archiepiscopi Gneznen: Sorore parentibus ortus.

Qui cum

In patria literarum studiis imbuisset primam ætatem in Gallis Philosophiæ & vtriusq; Iuris ac Theologiæ cognitione septennio adolescentiam expotuisset In Italia florentem virtutibus animum pietate auxisset Romæ sacerdos factus In æde sacra Lauretana primum sacris operatus,

Redux

Redux in Patriam.

Dum illa magnos ex Canonicatu Posnanien: ascensuro appa- ret honores fruiq; exambit mercibus diuturna peregrinatione conquisitis.

Vladislauiæ fecit naufragium vitæ.

Sed

Viuit post funera virtus

Ob raras doses ingenii perspicax acumen, iudicii maturitatem memoriæ tenacitatem, morum elegantiam vitæ constantiam animi sinceritatem maximum sui desiderium apud c[illegible]os tot ornamentorum æstimatores reliquit.

Hospes.

Dum ad metam communem mortalibus properas.

Interea lege

Cineres

Stephani Charbicki antiqua & illustri Accipitrorum g[illegible]te or[illegible] undi Canonici Crusuic: primum deinde Vladisl: & Posnan: Abbatis postea Premeten: tandem Vachocensis.

Qui

Catholicæ religionis zelo, pietate in præceptores rerum geren darum prudentia, amicitię candore Hospitalitatis obseruantia liberalitate in egenos, Imperatorū, Regum Principumq; legati- onum grauissimarū expeditionibus floruisset Tandē emarcuit.

Condo

Tanquā flos agri sic effl orebit omnis homo Hęc cogitans abi

Vt obeas bene.

Amicus Authori.

Immortale Decus Stephanus Stephanomate seruat,
Præpositis, memori dum negat orbe mori,
Quercea seruato veniebat ciue Corona:
Laurea, vel breuior [illegible] *sit Stephano.*